

1700.

Ex Actis Congregationis Regni, Zagrabiae, Praesidente Excellentissimo Domino Comite Adamo de Batthyán, Regnorum horum Bano, Die 30. Septembris Anni 1700 celebratae.

(Caeteris exmissis.)

Articulus Septimus.

Considerantes Domini Status et Ordines onera sua, quae ipsos ex intentione et exolutione Confiniorum manerent, adeoque non immerito in gubernio eorundem Confiniorum et eo seruientium, ad instar Prouinciarum uiciniarum, auctoritatem habere deberent, cuius intuitu concludunt: ut cum Excellentissimo Domino Comite Bano chrastino immediate die tractetur, quatenus de iurisdictionibus confiniariis generice intellectis, Domini quoque Status, secundum quod conuentum fuerit, participes efficiantur, (in quo hactenus etiam medio Generosi Domini Georgii Plemich, Regni Prothonotarii, praetitulatus dominus Banus se fauorabiliter resoluisset); et ut Excellentia sua Banalis, dum Causa publica per dominos Ablegatos promota fuerit Viennae, adesse, solitoque fauore et actiuitate sua partibus Regni assistere et fauere dignetur; offerentes se Domini Status et Ordines, quod intuitu praemissorum affectuum, hac Congregatione stante, competentis oblatione, et tandem etiam exolutione mediante, gratos sint se exhibituros.

(Factis iterato ex Generalibus SS. et OO. Congregationibus, medio eorundem SS. et OO. Ablegati Francisci Chernkoczy, de Confiniis Regno Croatiae reincorporandis, repraesentationibus, secutaque Comitibus Adami de Bathyan, Regnorum Bani, energica interpellatione, sequentes Regiae Resolutiones prodierunt, quae tamen hodieum omni carent effectu.)

Doc. I.

1703. 6. JUNII. VIENNAE.

Leopoldi Regis Resolutio, de Confiniis Regni Jurisdictioni subijciendis et Generalatu Varasdinensi abolendo.

Leopoldus DEI Gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex.

Reuerendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item, et Egregij, Prudentes ac Circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Posteaquam his superioribus euolutis Annis et temporibus per Naturalem Christiani Nominis hostem Turcam lacessiti, diuturniori cruento contra eundem Bello continuato, praepotentique dextra Dei justae Causae Nostrae et totius Christianitatis clementer opitulante feliciter superato, non solum gloriosos de eodem hoste Triumphos iteratasque solennes Victorias reportassemus, verum etiam fines ac Limites Regnorum Nostrorum Hungariae, Croatiae et Sclauoniae, ante hac nimium coarctatos, expugnatis pluribus Fortalitij, longe lateque extendissemus et propagassemus, ac tandem gloriosam etiam cum Porta Ottomanica Pacem Deo propitio inuissemus, qua stabilita, siquidem antiqua praefatorum Regnorum Nostrorum Confinia pariter extendi et translocari, ipsa Regnorum Conservatio et rerum ordo exegisset, eatenus vero tam ratione Jurisdictionis Territorialis, quam et dependentiae Militaris, nec non Translocationis et respective Cassationis Sclauonicorum atque Petrinensium Confiniorum inter Fidelitates Vestras ab una, nec non Austriae interioris Dicasteria Nostra ab altera Partibus, quaedam lis et Controuersia suborta, ac ex parte quidem Fidelitatum Vestrarum medio Fidelis quoque Nostri Francisci Csernkoczy de eadem, Colonelli et Consiliarij Nostri, Vestri vero hunc in finem specialiter Deputati Ablegati, iteratis vicibus Maiestati Nostrae humillime repraesentata fuisset; pro qua rite complananda, primo quidem certam Commissionem ad facies Locorum